



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XV. De miraculo quomodo cæca puella per intercessionem B.
Meinulphi visum receperit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

CAPUT XV.

De miraculo quomodo cæca puella per intercessionem B.

Meinulphi visum receperit.

Restat adhuc unum miraculum (quod sub regimine tertij Prioris per intercessionem B. MEINULPHI contigit) dignum ut exponatur : Erat quædam mulier in oppido Salzkotten , cujus filia amborum oculorum visu privata fuit , & dum mater ejus ob hoc plurimum tristaretur , sanctum MEINULPHUM humiliter in-
clamavit , ut ipse Dominum DEUM pro filia sua dignaretur exorare , quod saltem unius oculi visum mereretur recipere . Qua in-
clama-
tione facta filia unius oculi visum recepit : Mater verò , quod sanita-
tem amborum oculorum non rogasset , dolens ait in hæc verba : **O**
si pro visu amborum oculorum sanctum MEINULPHUM invocassem ,
utique ambos oculos sanos impetrasset.

CAPUT XVI.

De quarto Priore Monasterij B. Meinulphi.

Postquam Daniel tertius Prior prædicti Monasterij ab Officio sui Prioratus fuerat absolutus , Venerabilis Frater Henricus von dem Stalle Anno Domini 1424. à Conventu eligebatur in Priorem , qui dum vocatus & introductus fuit , ipse more spiritualis viri capit cum Fratribus Chorum continuè frequentare , ea etiam quæ sui status erant , & Officij medio tempore ad hoc vacante diligenter trutinare.

CAPUT XVII.

Quod satis prudenter campestribus indagibus muniuit suum Monasterium.

Hic dum inter alia malum patriæ statum animadverteret , ac Monasterij sui redditus tenues & exiles , insuper quod omnino necessarium foret , ut Fratres pane proprijs manibus parto sustentarentur.